

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8985

Auteur(s) : Raoul de Fougères [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1113, 25 janvier

Lieu d'émission : Savigny-le-Vieux

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul de Fougères, avec sa femme et ses fils, donne à Vital l'ermite la forêt de Savigny pour y établir un monastère. Turgis, évêque d'Avranches, concède l'exemption des coutumes épiscopales.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Lobineau Guy Alexis, *Histoire de Bretagne*, composée sur les actes et auteurs originaux, Paris, Veuve Muguet, 1707, 2 vol., t. 2, col. 202-203.

Texte d'après a

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Ego Radulfus Filgeriensis, universorum consummationem et finem attendens et in futurum saluti meae providens simul ac consulens quod propriis meritis obtinere non possum a pauperibus spiritu regnum cœlorum quod ipsorum est emendum esse putavi. Eos enim in illa celesti curia semper advocatos habere desiderans, ut pote cuius ipsi sunt et concives simul et præsules, ad eosdem tanquam ad sanctæ munitionis asilum configio ut eorum saltem merear opitulatione salvari qui de meis meritis non nisi mortem et damnationem invenio. Dono igitur ego Radulfus cum uxore mea Avicia et filiis meis Mainone, Fransgalone, Henrico et Roberto, Deo et Domno Vitali Heremitæ in possessionem et cenobiale domicilium monachorum, videlicet forestam de Savigneio sicut ex una parte fluvius qui vocatur Chamba ipsam forestam a Cenomannia disternat et ex altera parte Chambesneta fluviolus ab ipso vico separat qui Savigneum appellatur. Sicut enim Spiritus Sanus in psalmo Cedros Libani Dominus plantavit ut in eorum ramis nidificare sancti passeress permittantur, quam nimur ob incolumitatem corporum et salutem animalium meae videlicet et meae uxoris et filiorum meorum et pro animabus patrum nostrorum et matrum et dominorum et amicorum et baronum meorum et omnium fidelium tam virorum quarum defunctorum, ita ab omni tam clericorum infestatione quam laicorum, quiete Domino reddimus et ejus servitio sicut ad tenendum de Deo. Et ut nemo contra hanc donationem sit qui servos Dei inibi commorantes inquietare audeat vel præsumat, quam nimur quietem et tranquillitatem Turgisius Abrincensis sedis Episcopus ab omni cunsuetudinum Episcopali exactione ratam et inviolabilem possidendam concessit. Si quis autem contra hanc donationis nostræ paginam temerario ausu venire vel eamdem Ecclesiam infringere vel diripere vel nocere præsumperit perpetui feriatur anathematis ultione donec ad plenam satisfactionem et congruam emendationem redierit. + Signum Radulfi Filgeriensis. + S. Avitiae ejus uxoris. + S. Fransgalonis. + S. Henrici. + S. Roberti. Haec donatio confirmata est et signata apud Savigneum anno ab Incarn. Dom. M C XII, Indict. V. Epacta XX. VIII. Kal. Febr. anno regni primi Henrici Regis Anglorum et Dux Normannorum XIII. anno vero Archipresulatus Gaufredi Rothom. Archiepiscopi III. Turgisii quoque Abrincensis Episcopi anno præsulatus XVIII. Hujus itaque donationis

et confirmationis sunt testes legales et veridici Hamelinus de Meduana et Juhellus frater ejus. Harscoitus de Sancto Hylario et filius ejus Philipus. Robertus Abrincensis. Borardus de Castelerio. Maino de Polleio. Guillelmus filius Guidonis. Hamelinus filius Pinelli. Sensatus de Maisnilio Helduini. Gaufridus viator. Eudo de Monte fulcherii. Herveus de Lineriis. Gonterius frumenterius. Paganus de Ainero. Stephanus filius Guillelmi Ansgerii. Gaufridus filius Alveredi. Guillelmus filius Ilgerii.